



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Titulus XXV. De peculio Clericorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

ex tali juramento nasci obligationem; eò quod, si simplex promissio non revocandi donationem ob ingratitudinem nulla est, quia præbet donatario occasionem peccandi, quam juramentum non impedit seu purgat, sed potius firmiorem reddat, etiam juramentum, non secus ac juramentum præstitum à negotiorum gestoribus, quòd non teneatur de dolo, furto &c. est nullum; quia promittitur aliquid,

quod anam præbet committendi delictum. Unde esto, in præfati post commissum delictum ingratitudinis licitum sit non revocare donationem; ea tamen non revocatio ante delictum promissa licita non est; cum non habeat causam, quæ occasionem, quam præbet delinquendi; vincat & honestam reddat. ita valde probabiliter Castrop. l. c. §. 2. n. 5.

## TITULUS XXV.

### De Peculio Clericorum.

*Quæst. 582. Quid veniat nomine peculii Clericorum & quotuplex illud sit.*

**R** Esp. Ad primum; nomine peculii in genere sic dicti quasi pusilla pecunia, vel pusillum patrimonium. *L. depositi. §. 3. ff. de pecul.* respectu Clericorum veniunt bona, quæ isti separata à bonis ad Ecclesiam immediate & directe spectantibus ejusdem Ecclesiæ permisso de facto possident ad exemplum eorum bonorum, quæ servis & filiis familias separatim à bonis domini vel patris habere permittuntur.

2. Resp. Ad secundum: est hoc Clericorum seu Beneficiatorum sæcularium triplex, & secundum aliquos quadruplex, ut communiter tradunt AA. Navar. *de re dit. Eccl. q. 1. monito 19. Valsq. tr. eod. c. 1. §. 2. du. 1. n. 16. Less. L. 2. de just. c. 4. n. 35. Laym. L. 4. tr. 2. c. 3. n. 1. Pirh. h. t. n. 2.* Primum patrimoniale quò continentur bona, quæ iis aliunde, quam intuitu beneficii, officii vel ministerii Ecclesiastici, nimirum ex hæreditate, legato, donato, vel aliis contractibus, arte vel industria, labore aliquo profano, sive ante, sive post clericatum non secus ac laicis obveniunt. Secundum quasi castrense, seu quasi patrimoniale; quod complectitur, quod Clerici, non ratione beneficii, sed ex industria vel labore aliquo spiritali & functionibus Ecclesiasticis tanquam præmia & stipendium, v. g. celebrando Missas, Sacramenta administrando, Vicarium temporalem, vel etiam Vicarium Generalem Episcopi Officiale agendo aliamve jurisdictionem exercendo, interessendo exequiis, echoro seu officiis divinis, tanquam præsentias & distributiones (quæ aliter etiam vocantur industrialia) acquirunt. Pirh. l. c. Reiffenst. h. t. n. 4. Wiestn. n. 2. qui etiam huc revocat, quæ ex congrua sibi debita ex beneficialibus proventibus frugaliter vivendo comparferunt, quæ etiam ab aliquibus speciale genus bonorum seu peculii, dicta bona parsimonialia, constituunt. Reiffenst. h. t. n. 3. juncto. n. 11. An verò his bonis annumerentur præsentias & distributiones, quas lucrantur interessendo choro & divinis officiis non ita conveniunt AA. negant Navar. *de re dit. q. 1. monito. 30. n. 2. Sanch. l. 1. mor. c. 2. du. 46. n. 4. Sarmient. de re dit. p. 3. c. §. num. 6.* & alii, quos citat & sequitur Reiffenst. h. t. n. 9. Affirmant probabiliter Covar. *in c. 7. de testam. n. 14. Tusch. lu. D. concl. 512. n. 1. Pirh. h. t. n. 2. Engels. h. t. n. 4.* ex ea ratione, quòd dentur tanquam stipendium laboris. ita an ad hoc peculium spectent bona, quæ Parochi & Curati ex talibus functionibus, quæ intuitu beneficii & officii parochialis acquirunt, non acquirunt, si tale beneficium curatum non haberent, qualia sunt obvenientia ex benedictione nuptiarum, sepulturis, administratione Sacramentorum & communiter fructus

stolæ vocantur, est controversia inter AA. Host. *in sum. h. t. n. 3.* negat hanc generalem regulam statuens, quòd omnia, quæ Clericus acquirat respectu Ecclesiæ & beneficii, non acquiratur, si beneficium non haberet, nullatenus bonis patrimonialibus vel industrialibus, sed merè Ecclesiasticis sint annumeranda; fructus verò illi stolæ acquirantur intuitu beneficii parochialis; cum res propriè dicatur acquiri intuitu & respectu alicujus rei, quæ si non respiceretur, vel non adesset, non acquireretur. Arg. *L. castrense. ff. de castrens. pecul. & §. 1. Inst. per quas pers. cuique acquirat.* ubi in simili peculium profectitium dicitur, quòd intuitu patris datur filio, non dandum, si pater non respiceretur. Nihilominus contrarium hodie communis & probabiliter affirmant. Nav. l. c. n. 19. Laym. l. c. Moiiu. d. 142. n. 2. Reiffenst. h. t. n. 7. Engels &c. eò quòd hi fructus seu redditus stolæ Clericis beneficiatis, etiam curatis, non intuitu beneficii, sed præcisè intuitu industriae seu laboris spiritalis dentur, tanquam stipendium & merces, ad quam Clerici istiusmodi non minus jus habent ob labores spiritalis, quam laici ob labores profanos. Sed neque ex eo dici possint hi fructus acquiri intuitu beneficii, quòd non acquirerentur, si beneficium non haberent; cum ad hoc beneficium videatur se habere per accidens; dum dantes ista stipendia, sine ullo respectu ad beneficium solo intuitu & consideratione laboris spiritalis sibi impensi parochi largiantur, largiuntur, etiam si id beneficium non haberet teste experientia, ita ferè Reiff. l. c. Tertium est peculium profectitium, sic dictum ob similitudinem quam habet cum peculio profectitio profano, complectens bona merè Ecclesiastica (quæ etiam aliqui beneficialia vocant) utpote originaliter spectantia ad Ecclesiam, quæ dein assignata à Prælati Ecclesiasticis certis Clericis tanquam beneficium propter officium spiritali ab iis exhibitum. cuiusmodi sunt redditus & proventus annui, qui ex fundis, prædiis, bonis, decimis Ecclesiæ percipiuntur v. g. ratione Episcopatus, Canoniciatus, parochiæ alteriusve beneficii titulo. Pirh. l. c.

*Quæst. 583. An & quorum ex hisce bonis dominium habeant vel non habeant Clerici.*

**R** Esp. Primò: Patrimonialium bonorum suorum Clericos sæculares hodie esse veros & absolute dominos, ac proinde de iis liberè disponere, non secus ac laicos posse ad quascunque causas, tam inter vivos, quam per ultimam voluntatem, habet communis & certa, pro ut constat ex *can. Episcopi. 12. q. 1. c. 1. & §. de testam.* neque enim per Clericatus, aut Ordinum susceptionem se privant rerum suarum dominio, aut ejus à Jure in eas

paces redduntur; neque se obligant ad hæc sua bona eroganda in pauperes vel causas pias.

2. Resp. Secundò: Bonorum quoque suorum quasi patrimonialium, & in specie etiam præsentiarum & distributionum, non secus ac patrimonialium absolutum dominium habent hi Clerici; eò quòd hæc iis dentur tanquam stipendium & merces laboris sine omni onere & pacto expresso vel tacito distribuendi ea in pauperes vel expendendi in pias causas. ita cum communi docent D. Thom. 2. 2. q. 85. a. 7. Abb. in c. cum esset. de testam. n. 26. Covar. in c. cum in officiis. eod. n. 7. Nav. de re dit. Eccl. 4. 7. monito 19. (qui tamen monito 30. n. 2. id negat de præsentis & distributionibus; eò quòd hæc subrogentur fructibus grossis, & ex præbendarum proventibus sint detrahendæ, & quandoque in iis solis consistant præbendæ) Laym. l. 4. tr. 2. c. 3. n. 1. Pirh. h. 1. n. 3. Zöës. h. 1. n. 2. Engels. n. 2. Wiestn. n. 19. Reiffenst. n. 14. & de distributionibus specialiter desumitur ex c. unic. de Cler. non resident. in 6. dum ibi dicitur: qui verò alter, quam si divinis officiis adfuerit, de distributionibus ipsis quicquam receperit, rerum sic acceptarum dominium non acquirat &c. quippe ex quibus verbis clarè insinuat à contrario, acquiri dominium, si interfuerit divinis officiis, ut Franc. ibid. n. 8. & Barbos. n. 2.2. His non obstantibus, etiam gratis dando, quòd subrogentur fructibus grossis; dum tamen ab his potius decerpantur & secernantur, quam iis subrogentur, ut Moneta de distrib. p. 3. q. 1. n. 23. quia, ut constabit ex dicendis, fructus ipsi beneficiorum subsint eorum dominio.

3. Resp. Tertio: Bonorum quoque merè Ecclesiasticorum, nimirum fructuum ac proventuum, quos ex bonis & prædiis vel decimis ad Ecclesiam, cui deserviunt spectantibus, ratione beneficiorum suorum percipiunt, quò ad honestam sustentationem illis necessarium perfectum dominium & dispositionem habent; ita ut, si ex illis ad honestam sustentationem necessarii propria parsimonia sibi aliquid detraxerint, de eo liberè etiam ad causas profanas disponere possint. ita cum communissima. D. Tho. Covar. ll. cit. Nav. l. c. monito. 43. Laym. l. c. n. 2. Molin. d. 145. Less. l. 2. c. 4. n. 39. Pirh. h. 1. n. 4. Reiffenst. n. 16. contra Abb. l. c. n. 27. ex ea ratione, quòd huiusmodi redditus beneficiales, quatenus ad honestam ac decentem sustentationem, considerata dignitate & statu Clerici; laboribus quoque & meritis illius erga Ecclesiam, iis indiget, sunt ipsi ut stipendium debiti juxta c. cum secundum de præb. Extenditur hoc ipsum ad Prælatos & beneficiarios regulares, ut & ipsi, quod ex redditibus beneficiabilibus ad decentem sustentationem ipsis assignatis patiens vivendo acquisiverunt, id ad quoscunque usus, etiam inter vivos liberaliter donando applicare & absumere ex benigna Ecclesiæ concessione possint; eò quòd, licet propter eorum paupertatis non sint capaces domini reddituum beneficialium, libera tamen & plena eorum administratio, quatenus decentem sustentationem non excedunt, ipsis comperat, unde, cum residuum ex iis in proprios usus justè potuissent absumere, etiam aliis donare possunt. Ira Pirh. cit. n. 4. citatis Nav. cit. q. 1. monit. 8. & 33. Sanch. l. 6. mor. c. 6. num. 14. Laym. cit. c. 3. n. ult. Porro ad honestam & decentem vitam sustentationem spectant imprimis, quæ requiruntur ad ipsum beneficium ejusque familiam, quam convenientem suo statui habet, honeste aliendam. dein ad hospitalitatem exercendam erga consanguineos, amicos, peregrinos: ad præstandas donationes remuneratorias

beneficiorum, interdum etiam liberales non prodigas, ad honestas & statui convenientes animi & corporis relaxationes, quorum omnium quantitas æstimanda, tum ex personæ & officii dignitate (ita ut plus Decano quam simplici Canonico, plus Episcopo, Cardinali, Principi Imperii ex illustri vel regio stemmate orto permissum sit) tum ex reddituum amplitudine & copia. Laym. l. c. c. 3. n. 2. cum Nav. l. c. monito. 28. 29. & 36. Molin. d. 145.

4. Resp. Quarto: Bonorum merè Ecclesiasticorum seu reddituum beneficialium etiam superfluum, seu qui ad decentem sustentationem necessariam non sunt, & supra labores & servitia, quæ beneficiarii exhibent Ecclesiæ, non tantum administratio & dispensatio, sed & dominium, etsi restrictum & limitatum obligatione (quæ unde & qualis, an Justitiæ, an alterius virtutis, dicitur paulo post) expendendi superflua in pauperes piasque causas probabilis docere videntur D. Tho. 2. 2. q. 185. a. 7. Covar. l. c. n. 3. Molin. tr. 2. d. 143. n. 2. Garc. de benef. p. 2. c. 1. n. 5. Laym. l. c. n. 3. quos citat & sequitur Pirh. h. 1. n. 5. & insuper Barbos. Jur. Eccles. l. 3. c. 17. Fagn. int. ult. h. 1. Sanch. in præcep. decal. l. 2. c. 20. n. 24. Vasq. de re dit. c. 1. §. 2. du. 1. Gonz. in c. sim. h. 1. n. 6. Haunold. Tom. 1. de J. & J. tr. 4. h. n. 68. Wiestn. h. 1. n. 29. & plures alii apud Reiffenst. n. 23. potissimum recentiores contra Abb. in c. cum secundum. de præb. n. 4. Nav. de re dit. Eccl. q. 1. mon. 21. Archid. in c. statutum §. assessorem. de rescrip. in 6. Sylv. Host. Jason. & alios potissimum Theologos & Canonistas antiquos, quos magno numero citat & sequitur Reiff. h. 1. n. 30. tenentes Clericos prorsus nullum dictorum bonorum dominium, sed meram administrationem & dispensationem habere, pro quo quam plurimos ex Jure & SS. Patribus textus adducunt, ut videre est apud Reiffenst. à n. 31. quæ tamen omnia magis speciosa quam efficacia affirmat. Wiestn. n. 33. Rationem pro priore sententia potissimum ex eo deducunt fautores illius; quòd Clerici fiant veri domini bonorum & reddituum merè Ecclesiasticorum necessarium ad decentem sustentationem; etiam juxta aduersarios, ut probatur resp. præced. & constat potissimum ex Constitutione Julii III. quæ incipit: cum sicut: edita 6. Junii 1550. & verborenis citatur apud Wiestn. h. 1. n. 30. & consequenter etiam superfluum; quia beneficiarii ratione beneficiorum omnes eorum fructus percipiunt promiscue & commixtim; adeoque dici non possit, quòd aliquorum acquirant dominium & aliorum non; cum etiam pecuniarum & frumentorum mixtorum propriis saltem, ita ut discerni nequeant, dominium acquiratur. His non obstante, quòd pars fructuum; nimirum quæ superflua est, expendenda sit in usus pios. quemadmodum centum aurei, si dentur alicui ad peregrinationem aliquam instituendam cum hac obligatione & pacto, ut quod superest largiatur pauperibus, is quidem acquirit dominium centum aureorum cum dicta tamen obligatione, etsi ea sit Justitiæ, ut Pirh. n. 8. cum aliis. ita ferè idem n. 5. cum Laym. l. c. Wiestn. n. 32. Quæ contra hanc sententiam opponi solent, satis bene diluuntur ab his AA. hac ratione: imprimis in genere dicendo, pleraque eorum dici de bonis seu fructibus beneficialibus in genere seu totis & indiscriminatim absque eò, quòd præcisè cadant super parte eorum seu quantitate superflua; adeoque ab ipsis aduersariis diluenda & applicanda. dein, dum fructus ii dicuntur esse pauperem, id non accipiendum proprie, sive quò ad dominium & proprietatem, sed quò ad debitum & obli-

obligationem erogandi illos in pauperes, quatenus necessariam & decentem sustentationem excedunt, ut Pirh. *ait. n. 5.* & AA. passim apud Fagn. *in c. ult. h. t. n. 4. & 5.* dum vocantur patrimonium Christi, & Clerici consumentes eos in luxum aliósque usus profanos, dicuntur committere furtum, rapinam, sacrilegium, & Clerici fures, quin & homicidæ pauperum, id intelligendum de tempore præcedente divisionem bonorum ecclesiasticorum (quæ facta dicitur circa annum 470. à Simplicio & Gelasio summis Pontificibus, & quorum Clerici erant meri administratores & veluti œconomi) antequam eetra eorum portio ab universitate separata, & præcisè Clericis alendis deputata, aut etiam antequam ex iis erecta beneficia in titulum, & ea particularibus Clericis attributa; ita ut si tunc accipiendo aliquid & expendendo in profanos usus, committeretur sacrilegium, spoliarentur pauperes &c. vel si etiam locuti SS. PP. de tempore secuto illam divisionem & erectionem beneficiorum, id accipiendum juxta jam dicta de obligatione illa expendendi superflua in usus pauperum piásque causas, consistente cum dominio, non secus, ac illud consistit cum similibus aliis vinculationibus; cum adempta impuberibus facultate testandi, dicente Apostolo *ad Galat. 4.* quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cum sit dominus omnium. Contra quam obligationem agentes Clericos dictis nominibus compellentes SS. PP. utantur quidam iusta, sed oratoria exaggeratione, quales etiam uti consueverunt in avaros laicos, non succurrentes pauperibus in extrema vel gravi eorum necessitate, uti de tali necessitate D. Thom. *l. c. a. 7. ad 2. & 3.* intelligit sententiam S. Hieronymi relati in *can. quoniam. 16. q. 1.* contra Clericos detonantis. Porrò quòd hic dictum de beneficiariis, idem dicendum de pensionariis, seu pensionem aliquam ex aliquo beneficio percipientibus, ut & ipsi. quod superest ex pensione ultra decentem sustentationem, teneantur expendere in pauperes vel piás causas, eò quòd pensio æquiparetur beneficio, tradit Pirh. *h. t. n. 15. in fine.* citatis pro hoc Nav. *de reddit. q. 1. mon. 3. 2. n. 2. & 3.* Barbol. *jur. eccles. l. 3. c. 17. n. 33.* quamvis apud hunc plures teneant contrarium, quòd admitti posse de pensione, quæ non datur in titulum beneficii, ait Pirh. *Castrop. verò tr. 6. d. 2. p. 7. n. 2.* ait, id dicendum de pensione ex fructibus beneficii ecclesiastica (cùm duplex ex eo constitui possit pensio, ecclesiastica & secularis, ut Garc. *de benef. p. 1. c. 1. à n. 8.*) non de seculari.

**Quæst. 584.** *Obligatio erogandi in piás causas dicta superflua unde seu quo jure oriatur.*

**R**esp. primò in genere: supposita itaque dicta obligatione ex communi & certa sententia Theologorum & Canonistarum, quos magno numero citatos vide apud de Lugo. *Tom. 1. de 7. & 7. d. 4. s. 2. n. 1.* & apud Sanch. *L. 2. consil. mor. c. 2. du. 38. n. 1.* ex quo jure ea oriatur, valde controversatur inter AA. Primò quidem non oriri eam immediatè ex jure naturali aut divino, tradunt Sotus. *L. 10. de just. q. 4. a. 3.* Sarmient. *p. 2. c. 1. & 2.* Less. *l. 2. de just. c. 4. n. 47.* Castrop. *l. c. p. 6. n. 5.* Haunold. *de 7. & 7. Tom. 1. d. 4. n. 82.* quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. n. 37.* probant autem hanc sententiam ferè à posteriore tantùm; nimirum, quòd si obligatio hæc esset juris naturalis aut divini, nulla potestate humana saltem per legem vel constitutionem concedi posset facultas disponendi

de istiusmodi bonis etiam superfluis ad quascunque causas tam inter vivos quàm mortis causà, testandi etiam aut Clericis ab intestato succedendi. Ea autem facultas de facto tribus sæculis diversis habitantibus in urbe ejusque districtu ad decem millaria Clericis concessa per Constitutiones Apostolicas, nimirum à Sixto IV. quæ incipit: *est universalis*: edita Calend. Jan. 1474. à Julio III. quæ incipit: *cupientes*: edita Idibus Maji 1550. cujus tenorem vide apud Wiestn. *l. c.* quæque à Paulo V. constitutione incipiente: *in eminente*: edita 18. April. 1606. confirmata. Item probatur ex eo, quòd si hæc obligatio esset juris naturalis aut divini nulla consuetudine etiam immemoriali induci posset, ut licitè disponatur à Clericis de istis bonis donatione inter vivos, vel mortis gratiã, aut etiam ultima voluntate; cujus tamen contrarium clarè satis colligitur & *con. constitutionibus*. Unde hi AA. necesse habent dicere, esse hanc obligationem solum ex præcepto ecclesiastico, de quo satis constat ex *Trid. sess. 25. c. 1. de reform. & dispositionem illorum non esse prohibitam, quia mala, sed esse malam, quia prohibita, & consequenter etiam non esse onus restituendi, si bona illa impensa in usus profanos, pauperibus vel piás causis. Alii, putà, Molin. *d. 174. n. 31.* de Lugo *l. c. n. 16.* Sanch. *l. c. du. 40. n. 2.* Nav. *de reddit. q. 1. n. 48.* Valq. *opusc. de elemos. c. 4. n. 12.* ubi ait: nullum legi, qui assereret, jure tantùm humano ad id teneri, cui per consuetudinem derogari possit, sed omnes asserunt, ad hoc Clericos teneri jure divino ac naturali. Et ita sentire necesse habent omnes, qui volunt eam obligationem esse alterius virtutis, nimirum vel justitiæ vel caritatis, misericordiæ vel religionis; cum eo ipso, quòd agatur contra aliquam harum virtutum non erogando superflua in pauperes &c. agatur contra jus divinum, ut bene Reiffenst. *h. t. n. 53.* inde probans hanc obligationem esse juris divini, intellige, non positivè, sed naturalis. Ac proinde præ hac sententia rectè citatur Laym. *l. 4. tr. 2. c. 3. n. 3.* & alii, etsi aliud nihil dicant, quàm obligationem hanc esse justitiæ. Atque ex hac sententia manifestè deducitur, nulla unquam consuetudine hanc obligationem tolli posse; sed consuetudinem, quantumcunque in loco aliquo vigeat superflua impendendi in causas profanas, esse non solum illicitam, sed & meram corruptelam. Item summum Pontificem non tantùm teneri hac lege erogandi superflua ex redditibus ecclesiasticis in pauperes, ut Nav. Archid. Adrian. Sanch. *consil. mor. l. 2. c. 2. dub. 40. n. 3.* sed nec cum aliis posse in hoc, utpote juris naturalis & divini, dispensare. Laym. *l. c.* quòd quomodo cum Corduba negat consequenter, dicendo ex causâ illum in eo dispensare posse, non video. Videtur ex his quoque sequi, quòd Clerici habentes patrimonium possint illud reservare, & in usus alios, quos voluerint, expendere, & redditus beneficiorum suorum in dictos usus & sustentationem sui erogare; aut etiam, si ex bonis patrimonialibus vixerint, compensatione uti, & tantundem ex redditibus beneficiorum accipere & detrahere; cum hæc sit quædam compensatio, ut docent Less. *cit. c. 4. n. 33.* Fagn. *in c. ult. h. t. n. 6. & seq.* Barbol. *jur. eccles. l. c. 17. n. 27.* Pirh. *h. t. n. 15.* & alicommunitè. Non possunt tamen contra necessitatem & decentem sustentationem expensâ ex dictis redditibus beneficiorum compensare in fraudem pauperum & casularum piarum.*

**2.** Resp. secundo in specie: & primò quidem esse hanc obligationem religionis, sive Clericos impen-

péndentes beneficiorum redditus superfluos in usus profanos peccare contra religionem, docet de Lugo *l. c.* non quidem ob conditionem personarum Clericorum, sed ob conditionem ipsorum bonorum, utpote quæ res sunt Dei, ut loquitur Trid. & quamvis à fidelibus donata sint ecclesiæ sine alio pacto & conditione, & ideo valde de iis disponere possit ad quemcumque usum; quia tamen hoc ipso, etiam ex mente & intentione fidelium oblata sunt Deo, (cui aliter visibiliter offerri nequeunt) in ejus obsequium & gloriam, eam conditionem contrahunt, ut indecens & turpe sit ea impendere aliter, quam in causas pias & Deo gratas, cederet hoc ipsum in maximam irreverentiam erga Deum & Sanctos, quorum honori dicantur, & quorum quasi nomine acceptantur, si in ludos, convivia, venationes aliæque profana profunderentur. Unde tamen non sequitur, pauperes quibus dantur elemosynæ ex caritate, peccaturos quoque contra religionem, si datas pecunias, non in suam sustentationem, sed usus alios profanos impenderent; quia etsi dentur illis propter Deum & ejus amorem in expiationem peccatorum, non tamen dantur, ut sint Dei & ex affectu consecrandi eas Deo, uti dantur ecclesiæ; neque dantur pauperi velut procuratori & quasi thesaurario Dei, qui conservet, & nomine Dei ad ejus obsequium expendat; sed solum dantur pauperi ad subveniendum ejus egentiæ, juxta quod Deus præcipit aut consulit, eique gratum est. Ita ferè de Lugo *n. 17.* Verum contra hanc doctrinam facere videtur, quòd, si bona ecclesiastica ex institutione & natura sua hoc ipso, quòd donata ad Dei cultum & honorem non debeant aliter applicari, nisi in usus pios, sequitur fideles fundatores non voluisse nec potuisse ea aliter donare, quam congruenter huic eorum primæ institutioni, adeoque cum tacito pacto quodammodo imbibito in ea institutione, ut non nisi in usus pios impendantur; & consequenter, qui ea aliter impendant, non tam contra religionem, quam contra Justitiam peccent agendo contra illud pactum, sub quo acceptata ab ecclesiâ, & præsumptam fundatorum voluntatem. Item quòd dicti redditus seu bona ex natura sua non sint res consecrata & benedicta sicut calices & vestes sacra, sed res temporales sicut bona laicorum; adeoque eorum applicatio ad usus profanos non sit gravis abusus eorum contra religionem; ne aliàs etiam idem dicendum sit de redditibus, quos ex propria parsimonia collegit beneficiarius; cum sint ejusdem naturæ & conditionis, cum aliis redditibus superfluis, quod non admittit de Lugo. Ita ferè Pirh. *b. t. n. 11.*

3. Secundò esse hanc obligationem tantum ex lege caritatis & misericordiæ, ita ut peccetur quidem contra legem hanc graviter, si superflua illa impendantur in notabili quantitate in usus profanos præteritis pauperibus causisque piis, non tamen teneantur illis ad restitutionem id facientes, docent Covar. *in c. cum in officio de testam. n. 3.* Garc. *de benef. p. 2. c. 1. n. 5. & 6.* Barbof. *jur. eccl. l. 3. c. 17. n. 10.* Tambur. *de jure Abbat. Tom. disq. 11. q. 15. à n. 8.* Fagn. *in c. ult. b. t. à n. 2.* Molin. *tr. 2. d. 114. Azor. Inst. mor. p. 2. l. 7. c. 8. q. 2. Less. l. 2. c. 4. à n. 43.* Vasq. *tr. de re dit. eccles. c. 1. §. 2. du. 1. à n. 27.* quos citat, non tamen sequitur Pirh. *b. t. n. 14.* dicens hanc sententiam hodie communi usu receptam, & ideo in praxi damnari non posse, sed ob autoritatem DD. esse probabilem. Quæ tamen vix alia ratione nititur, quam quòd licet bona illa donata sint ad honorem & cultum Dei, fueritque ea mens

& votum donatorum, ut sic impenderentur, non tamen constet, nec solidè probari possit, quòd data sint hoc modo seu pacto, & cum hoc onere, ut expendantur in pauperes aliòve usus pios; ideoque, cum Clerici sint absolute domini talium reddituum, valida sit eorum distractio etiam facta in usus non pios; neque eos expedientes neque eos recipientes obligandi ad restitutionem. Quæ tamen non probat contra de Lugo, quòd non sit contra religionem; cum etiam in illa sententia non sit obligatio restituendi; neque contra eos, qui sustinent esse simpliciter ex præcepto ecclesiastico propter eandem rationem. Sed & est contra hanc sententiam, quòd Clerici satisfaciant suæ obligationi, si superflua in augmentum cultus divini, v. g. in fundationem beneficii, ornamenta templi &c. impendant absque eo, quòd impendant in opera caritatis & misericordiæ. Ad hæc cessante hic & nunc lege caritatis, dum v. g. in loco aliquo non sunt pauperes, vel iis aliunde à Magistratu provisum; vel si sint, non nisi in extrema vel gravi necessitate iis non succurrendo peccetur mortaliter, ut cum S. Thom. *2. 2. q. 32. a. 2.* Theologi communiter, & tamen adhuc peccetur mortaliter impendendo superflua in notabili quantitate in usus profanos; quod signum est certum, hanc obligationem non esse purè ex lege caritatis. Tertio impendendi superflua pauperibus piisve causis obligationem esse Justitiæ, & secus facientes tam prælatos quam alios clericos, uti & ab iis ea accipientes teneri ad restitutionem, docent Nav. *rr. de re dit. eccles. q. 2. mon. 7. n. 1.* testante hanc sententiam esse omnium ferè canonistarum & plurimorum Theologorum præcipue antiquorum. Tanner. *Tom. 3. d. 4. de just. q. 6. du. 8. n. 215.* Laym. *l. 4. rr. 2. c. 3. n. 3.* Reiffenst. *b. t. à n. 56.* Pirh. *b. t. n. 6.* dicens, hanc sententiam non tantum esse valde probabilem & SS. canonibus admodum conformem; sed etiam tanquam tutiorem omnibus beneficiariis in praxi consulendam, ut etiam ex adversariis fatetur Less. Adducti verò ab eo *n. 7.* pro hac sententia Canones, quibus res donatæ ecclesiæ dicuntur vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum &c. non videntur eam satis efficaciter probare, ut constat ex antecedentibus. Quare efficacius ferè probatur ex refutatione aliarum sententiarum. Cum, si neque contra religionem, neque contra caritatem aut misericordiam, aliòve præceptum speciale peccetur impendendo ea in usus profanos, non supersit nisi Justitia, contra quam peccetur. Et unica ejus ratio à priori desumitur ex eo, quòd fundatores aliique fideles tam abundantes redditus Prælati aliisve Clericis beneficiariis constituerunt & ecclesiâ acceptavit, non nisi sub eo pacto & cum hoc onere, ut quæ eorum honestæ sustentationi superessent in pauperes aliosque pios usus erogentur, ut constat ex *c. reverimur. c. decime. caus. 16. q. 1. c. quod autem. caus. 23. q. 7.* & aliis SS. Canonibus, & pluribus probat Reiffenst. *à n. 60.* quem vide. Cuicumque autem datur aliquid cum onere dandi illud aut partem illius alteri, ille ex Justitia tenetur illud pactum implere, ita ut si in alios usus illud impendat, vel inutiliter absumat, teneatur ad restitutionem ex aliis suis bonis, quorum absolutum & minimè restrictum dominium habet, hoc pactum implendo. Tale autem pactum adjectum donationi non impedire acquisitionem dominii rerum donatarum constat ex dictis quest. præced. circa finem, & patet in fideicommissis aliisque legatis vel donatis sub modo & gravamine, ut Gabr.

*in quart. dist. 15. q. 8. a. 2. in fine.* Laym. Pirh. *ll. cit. Sc.* Quanquam autem beneficiarios habere dominium superfluum restrictum tali pacto, rectè probetur à posteriore ex eo, quòd de bonis acceptis ex beneficiis per voluntatem ultimam disponere nequeant, ne quidem ad pias causas, sed ea relinquere debeant ecclesiæ suæ, ut habetur *c. 1. h. t. & dicitur tit. seq.* ne aliàs, si haberent dominium eorum absolutum omninò, ecclesiæ vindicando ea sibi, aut iis de illis testandi adimendo facultatem, faceret iis injuriam; licèt id inquam, inde probaretur; non tamen ex inde rectè videtur probari eorum obligationem impendendi superflua in pauperes, aut relinquendi ea ecclesiæ esse obligationem Justitiæ; cum etiam AA. hanc negantes admittere debeant obligationem ea post mortem relinquendi ecclesiæ. De cætero, quòd ecclesiæ seu Prælati ecclesiastici & superiores non rescindant donationes à beneficiariis ex abundantibus redditibus beneficiorum factas contanguineis, aut expensas in alios profanos usus; & quòd restitutio talium bonorum ordinariè non fiat, oritur partim ex eo, quòd sæpè satis discerni non possint bona & redditus superflui ab aliis, dum beneficiati omnes redditus beneficiorum suorum promiscuè percipiunt. Partim ex eo, quòd ista obligatio restituendi per oppositionem contrariæ sententiæ negantis illam ob auctoritatem tot DD. sit probabilis, & in praxi impediatur. Unde nec ecclesiæ eam præcipiat. Ita Pirh. *h. t. n. 14. in fine* cum Tanner. *cit. d. 8. n. 232.*

*Quæst. 585. Quæ quantitas reddituum superfluum impensorum in causas profanas ad constituendum peccatum mortale requiratur.*

**R**esp. in hoc AA. convenire. Requirit majorem, quam quæ in materia furti sufficit ad lethalem culpam, ait Molin. *l. c. d. 144. §. prior verò.* Coninck. *d. 27. de caritat. du. 11. n. 192.* censet in ordine ad hoc notabilem quantitatem esse tertiam, quartam, vel quintam partem reddituum superfluum. Quod ita indeterminatim dictum esse nimis laxum reputat de Lugo. *d. 4. n. 42.* & omnes dicturos peccare eum mortaliter, qui ex superfluis 30000 aureorum impenderet in parasitos & ludos 4000. ipse verò inhaerens suis principiis, nimirum quòd obligatio impendendi ea in causas pias sit tantum ex virtute religionis, ait majorem quantitatem requiri, quam in materia Justitiæ. Verum quidquid sit de hoc, sive obligatio sit Justitiæ, sive Religionis, sive caritatis alteriusve præcepti, attendi debet in hoc ad majorem vel minorem quantitatem residuorum, ut dicatur pars aliqua esse vel non esse sufficiens ad materiam gravem, ut fatetur ipse de Lugo cum Molin. Quem vide magis id ipsum specificantem.

*Quæst. 586. Quinam hic veniant nomine pauperum vel eorum, in quos superflua erogando satisfaciunt beneficiati, sive ea obligatio sit Justitiæ, sive caritatis, sive ex speciali præcepto, & quo ordine ex iis bonis subveniendum pauperibus.*

**1.** Resp. ad primum: nomine pauperum in hac materia veniunt personæ non tantum non habentes necessaria ad victum & vestitum; sed etiam non habentes sufficientia ad decentiam statûs pro

conditione & qualitate personæ. Unde etiam ex superfluis ecclesiasticis quandoque succurri potest Duci, Marchioni, si egeat pro conservatione statûs sui, ut de Lugo de *7. §. d. 4. n. 37.* Ita etiam possunt consanguineis & familiaribus, quantum requiritur ad decentiam statûs illorum, non tamen eundem extollendo ad majorem splendorem, suppeditare ex iisdem redditibus. D. Thom. *2. 2. q. 32. a. 6.* Fagn. *in c. ult. h. t. n. 18. §. 19.* Nav. *cit. q. 1. mon. 27.* Molin. *ir. 2. d. 146. n. 5.* de Lugo *l. c.* Laym. *l. c. n. 3. in fine.* Pirh. *n. 14.* Quod ipsum tamen limitant Mol. Nav. Laym. hac ratione: nisi aliæ longè majores necessitates aliorum occurrant. Item veniunt liberi, non tantum legitimi, sed & illegitimi & spurii, quos alere tenetur & potest Clericus ex bonis ecclesiasticis, si alia bona non habeat, nec ipsi habeant, ut ex communi Abb. *in c. cum conjugatus, de Cler. conjug.* Molin. *l. c. n. ult.* Nav. *in comment. de spol. Cleric. §. 14. n. 11.* Azor. *p. 3. l. 7. c. 10. q. 10.* Barbof. *jur. eccl. l. 3. c. 17. n. 35. §. 39.* Pet. Barbof. *in l. 1. ff. sol. mar. p. 4. n. 133.* Laym. *l. c. n. 5.* Pirh. *l. c.* quia illud est opus misericordiae & pietatis erga liberos. Unde & filia suæ ex iis dotem conferre potest, si aliunde non habeat; quia dos juxta Bartol. *in l. uxorem. §. pater natur. alius ff. de legat.* succedit loco alimentorum. Pirh. *l. c.* citatis iisdem Molin. Azor. Barbof. Laym. Secus est, seu pater ex bonis ecclesiasticis dotem dare nequit, si bona patrimonialia habet, ut nec liberi ex illis alii possunt, si bona sufficientia v. g. adventitia à matre habeant; quia tunc non sunt egentes. Laym. *cit. n. 5.* Quin & patrem beneficiarium habentem bona patrimonialia non posse ex bonis beneficiaribus alere filium in studiis; quia ad hoc eum alere, seu sumptus ministrare non tenetur; posse verò Clericum fratri suo vel alii consanguineo suo ad hoc ministrare sumptus, etiam id facere possit eorum pater, sed nollet; quia in ordine ad studendum tales sunt egentes, si bona propria non habent, tradit Pirh. *l. c.* citans Nav. *l. 3. ut. 1. conf. 2.* & Laym. *n. 5.* quitamen posterior de hoc nihil. Ac denique veniunt quoque in hac materia nomine pauperum causæ pia & omnia opera pia, quæ in cultum Dei tendunt, exercendamque misericordiam tam spiritualem quam corporalem. Sanch. *conf. mor. l. 2. c. 2. du. 28. n. 11.* de Lugo. *d. 4. n. 37.* Pirh. *h. t. n. 15.* cum citatis à se D. Thom. & Fagn. sicut & de contra nomine causarum piarum veniunt pauperes. Reiffenst. *h. t. n. 66.* item loca pia, ut ecclesiæ, capellæ, monasteria, hospitalia, confraternitates, quin & ut Sanch. *l. c.* collegia, in quibus rudimenta literaria docentur; cum talia docere sit opus misericordiae.

**2.** Resp. ad secundum: tamen si beneficiarius satisfaciat obligationi suæ dicta superflua impendendo in aliquam ex dictis causis piis, pro diversitate tamen circumstantiarum tenetur servare ordinem aliquem inter eas, succurrendo potius & prius uni quam alteri. Et primò quidem, si adsint in gravi vel extrema necessitate constituti, iis omnium primò succurrere debet, sita ut non satisfaciat obligationi suæ, si iis præteritis in loca pia aliaque causas pias impendat illa, nisi constet dictis pauperibus aliunde provideri, prout constat ex variis textibus Juris, quibus pauperes aliis causis piis ita præferuntur, ut etiam collata locis piis, exigente necessitate, jubeantur erogari pauperibus, *Can. aurum. 12. q. 2. Can. gloria Episc. ead. caus. §. q. in summar.* Inter pauperes ii præferendi, qui magis egent, juxta *c. consideranda. dist. 8.* Inter æqualiter egentes ii, qui men-

mendicare erubescunt. *cit. c.* & cæteris paribus primo consanguineis. Can. cæterum. dist. 86. cum hi duplicem titulum sibi subveniendi habeant, nimirum paupertatis & sanguinis. Et si autem forte obligatorium non sit impendere superflua potius in pauperes & utilitatem istius loci, in quo beneficiatus habet beneficium, summè tamen decens & congruum impendere illa seu relinquere pauperibus, nisi forte aliud postulare bonum publicum diæcesis, regni, aut totius Ecclesiæ. Molin. d. 145, circa finem. de Lugo l. c. n. 38. cum communi arg. c. 3. & c. fin. h. r. c. 1. & 7. de restam. Quin & ut Idem de Lugo, id erit obligatorium, non tantum, ubi extremæ sunt necessitates ecclesiæ propriæ, sed etiam ubi est valde pauper, ac què vel magis, quam alia exteræ ecclesiæ, ad quas fortè speciali aliqua devotione vel affectu feratur beneficiatus, egens; quia caret sufficiente sustentatione ministrorum, paramentis & vasis sacris, ruinæ proxima, gravata debitis. Vide de his pluribus & fusè de Lugo l. c. ubi etiam inter reliqua *vers. denique dixi.* quòd quando illa beneficiorum superflua non sunt ita necessaria ad propriæ Ecclesiæ statum sustinendum, non facile interveniat culpa gravis in extractione seu translatione eorum ad ecclesiam alienam.

*Quest. 587. An superflua statim impendenda in pias causas; an verò reservari possint, ut dein ex iis fundetur beneficium, hospitale &c. vel etiam pro securis, quæ timentur, necessitatibus.*

**R**esp. Quamvis rectè tradant cum D. Thom. 2. 2. q. 85. a. 7. ad 4. Cajetan. *ibid.* Antonin. Nav. P. Soto. & alii apud Sanch. l. c. n. 12. item Valq. de elemos. c. 4. dub. ult. n. 16. Molin. *cit. d.* 145. §. dubium etiam. dum non adest præsens necessitas pauperum vel ecclesiæ, intellige notabilis, posse superflua congregari & servari ad fundandum hospitale aliudve opus pium, quod sine magna pecuniæ copia fundari nequit, vel etiam, ut signanter Molin. pro futuris, quæ de proximo prudenter verè similiter timent, eventuris necessitatibus propriis vel aliorum; bene tamen monet Molin. in similibus ante oculos habendam hominum inconstantiam, tenacitatem in retinendis, quæ insumere tenentur, & quot obtendant & quærant excusationes ad tale quid exequendum, quam longam vitam sperent, & repentina morte præsentis, quòd intendunt, ad exitum non perducant. Ac ita fiat, ut quæ in eum finem congregarunt, in eorum potestatem deveniant, qui ea in profanos usus absumant. Quæ etiam est, ut de Lugo n. 41. aliquo modo præcaveri queant, dum beneficiatus habens potestatem testandi, testamento prius factò, vel donatione mortis causâ ex nunc in favorem talis operis pii disponit de omnibus, quæ mortis tempore remanserint, vel etiam ex nunc erigit illud opus pium obligando se ad talem summam dandam, si tot annis supervixerit; nihilominus tamen, ut constat experientiâ, postmodum hæredum invidiâ vel avaritiâ, aut etiam ob lites sæpe fraudantur fundatorum voluntates, & multa pia opera intenta evanescent. Unde is regulam aliam statuit; nimirum ut beneficiatus, cui hæc bona dantur ab Ecclesiâ, & committuntur veluti ejus, imò Dei æconomo administranda & distribuenda, ita distribuere teneatur, uti Ecclesiâ ipsa distribuisset.

R. P. Leur. *jur. Can. Lib. III.*

Adeoquæ sicut æconomus delinqueret, si bona, quæ ex voluntate domini in utilitatem familiæ impendenda commissa, ejus necessitatibus gravibus vel etiam ordinariis neglectis ad longum tempus in usum alium, etiam familiæ quidem utilem, sed nimis incertum propter periculum pecuniæ amittendæ, & fraudandi domini intentionem asservaret. Quin & aliquando ipsa dilatio reddere possit eum graviter culpabilem, nisi eam compenset major utilitas familiæ ex tali modo expendendi sperata. Estque ejus delictum levius, si dilatio non esset nimia, nec periculum amittendi pecuniam notabile. Ac ita se res habeat cum beneficiario Dei dispensatore, ut is graviter vel leviter deficeret à debito prudentis & fidelis dispensatoris (quod ipsum ex circumstantiis colligendum) in expendendis dictis superfluis. Ita ferè de Lugo, quem vide ea pluribus explanantem. Quæ quidem apertius locum habent in ejus principiis aut etiam aliorum, qui non nisi administrationem eorum concedunt beneficiario; applicari tamen etiam rectè possunt beneficiario in sententia, quæ tenet, eum obligari ex Justitia, & habere dominium eorum; cum, eo non obstante, ex mente fundatorum & ecclesiæ impendi debeant in causas pias.

*Quest. 588. An bona quoque, quæ beneficiatus emit seu comparavit ex dictis superfluis, transcribenda in pias causas.*

**R**esp. Si beneficiatus malè impendit redditus beneficii superfluos, emendo sibi possessiones, suppellectilem seu bona mobilia superflua, adhuc manet obligatio ea, vel eorum tursus venditorum pretium impendendi in pios usus; quia isti obligationi satisfactum non est, & adhuc satisfieri potest. Bonac. d. 4. de obligat. in sumend. fruct. benefic. p. 2. n. 20. Azor. p. 2. l. 8. c. 3. q. 3. Filiuc. tr. 43. c. 4. q. 2. n. 2. Covar. Redoan, quos citat & sequitur de Lugo. d. 4. n. 43. estque ratio à priori; quòd quidquid acquiritur fructibus ipsis, sive sit pecunia accepta in eorum venditionum pretium, sive sit res alia fructibus empta succedat in eorum locum, & cum istis obligationibus; quemadmodum, si rem gratis ab aliquo accepisti, quæ non erat dantis, sed aliena, & eam vendidisti; debet cognito rem esse alienam, restituere domino illius totum, in quo factus es locupletior; qui in lucrum illud succedit loco rei alienæ, & censuris adhuc æquivalenter habere. Cùm ergo ex fructibus beneficii, qui obligati erant pauperibus, lucrum habeas, nimirum vel pretium illorum venditorum, vel rem aliam fructibus emptam, lucrum illud succedens loco fructuum (quod & ipsum est verè fructus ex beneficio ecclesiastico proveniens saltem mediâtè) impendere debes pauperibus, & nullatenus retinere potes, non secus, ac si beneficiatus ex superfluis redditibus emisset, v. g. triticum, ut erogaret in pauperes, vel domum, ut daret Ecclesiæ, non potest ea sibi retinere ad profanos usus, non propter dictam intentionem suam contrariam; sed quia res empta non minùs transiens in dominium illius, quam si intentionem habuisset non dandi illam Ecclesiæ, eo ipso obligata est pauperibus independentè ab illius intentione, quòd succedat loco pecuniæ erogandæ in illos; adeoque animus ille exposita pecuniâ non dandi empta pauperibus non liberat eum ab illo onere. Unde jam etiam sequitur, quod, si beneficiatus ex redditibus superfluis melioravit beneficium suum

Ggg

me.

meliorando prædia ad illud pertinentia, ea melioramenta teneatur quoque erogare in pauperes vel causas pias, ut insinuat Pirh. *h. t. n. 24.* nec posse ex inde lautius vivendo illa absumere, aut aliter etiam per ultimam voluntatem disponere; aut etiam relinquere Ecclesiæ, repetendo æstimationem expensarum; quia iste casus perinde se habet, ac si ex dictis redditibus emisset alia bona; adeoque debere absolutè relinqui Ecclesiæ, in qua est beneficium melioratum, quæ deinceps; si collatrix est ejus beneficii, ipsa conferre, vel si alius collator, permittere, conferri illud suo nomine sic melioratum successori in eo beneficio. An verò ipse meliorans ex eo tantum annuè assignare possit pauperibus, quantum correspondet dictis melioramentis, aut etiam exactam ab Ecclesiâ æstimationem expensarum largiri pauperibus, merito dubitari potest; cum beneficium unà cum accedentibus & veluti incorporatis ei melioramentis spectet ad Ecclesiam, de cætero contrarium dicendum; nimirum posse beneficiatum tempore vitæ suæ frui dictis melioramentis, etiam lautius, proportionatè tamen ad ea, inde vivere, etiam postquam beneficium dimiserit, ut Pirh. *h. t. n. 14.* relinquere tamen ea Ecclesiæ, si melioraverit illud ex bonis Ecclesiasticis seu beneficii sui, si non superfluis partibus vivendo, vel etiam industria sua, quin & si melioraverit illud ex bonis propriis & patrimonialibus suis, repetere poterit ipse aut hæredes ejus melioramenta aut æstimationem expensarum in ea, nisi appareat beneficiarium animo donandi Ecclesiæ meliorasse. Pirh. *h. t. n. 14.* citatis Abb. *in c. ult. h. t. n. 5.* Barbos. *ibid. n. 2.* Laym. *in disq. can. de bon. Eccl. alien. th. 118.*

*Quæst. 589. An qui malè donata sibi ex superfluis, quæ beneficiarius impendere debebat in pios usus accipiendo peccet.*

**R** Esp. Dubium non esse, quin talis sciens sibi donari ex superfluis acceptando peccet in sententia eorum, qui tenent beneficium non esse superfluum dominum, & consequenter invalidè donare eum; cum talis peccet contra Justitiam accipiens sine titulo rem alienam à non potente eam alienare, unde & tenebitur ad restitutionem ratione rei acceptæ & injustæ acceptionis, de Lugo. *d. 4. n. 48.* In sententia verò illorum, qui tenent esse illos eorum dominos, & posse illorum dominium transferre, probabilius videtur, accipientem non peccare mortaliter, saltem ubi non perit, aut inducit ad donandum, & ubi donans ex ea donatione non redditur impotens tantundem exponendi in causas pias, dum aliunde nimirum donatorum loco alia subrogando potest subvenire causis piis; cum donatarius tunc non cooperetur peccato, uti putat Sanch. *conf. mor. L. 2. c. 2. du. 38. n. 14.* & ideo censet contra-

rium; quia peccatum ex parte donantis jam consummatum est per ipsam donationem, & acceptatio, quæ consequitur, ex parte accipientis non dat occasionem illi obligationi, quæ donans obligatur tradere rem, sed solum perficit donationem, ut cum effectu transferatur dominium. Lugo. *n. 50.* qui etiam *n. 49.* quòd et si per talem donationem redderetur impotens ad satisfaciendum præcepto expendendi superflua in pios usus, non tamen facillè accipientem damnandum peccati, quòd probat ex eo, quòd tradit Less. *L. 2. c. 20. du. 19. n. 168.* quòd qui accipit à fure, non quidem res furtivas & quarum dominium non habet, sed alia, ita tamen, ut dando fiat impotens solvendi illud, ad quòd ex Justitia tenetur, non peccet contra Justitiam vel caritatem, quia non est causa, cur ille peccet, dum illum ad hoc non inducit; cum utatur jure suo, & neque Justitia, neque caritas postulet, ut negligat quis suum commodum, et si exinde per accidens sequatur tantundem damni alteri, ut Molin. *Tom. 2. de jur. d. 328. n. 10.* Per. Nav. *L. 3. de rest. c. 4. n. 218.* apud eundem de Lugo. Eadem locum habere videntur in sententia eorum, qui tenent beneficium teneri ex Justitia superflua applicare causis piis, dum dominium eorum habet, et si validè illud transferre potest in alium omiſſa causâ piâ.

*Quæst. 590. An si beneficiarius expendit post habitum beneficium in sui sustentationem bona sua patrimonialia, possit dein ex redditibus sui beneficii non superfluis id recompensare, tantundem accipiendo & impendendo in usus quosvis.*

**R** Esp. Quamvis affirmativa, quam tenent apud de Lugo. *d. 4. n. 44.* Molin. *d. 145. col. 1.* Less. *l. c. c. 4. du. 6. n. 38.* Sanch. *l. c. du. 38. n. 15.* Azor. *p. 2. L. 4. c. 9. q. 10.* Bonac. *d. 4. de obl. in sum. fruct. p. 2. n. 5.* cum aliis, quos citant hi AA. sitque ferè communis ex ea ratione, quòd illos sumptus in sui sustentationem facere poterat ex redditibus beneficii, servando patrimonialia ad usus liberos; unde præsumendum non sit voluisse illos se hac libertate sua privare, sed potius eam voluisse retinere. Verumtamen limitationem quam adhibent suæ sententiæ hi AA. dum nimirum volunt eam solum procedere, quando talis infumens sua patrimonialia non habuit animum non compensandi, improbat & inconsequentia arguit de Lugo. *n. 45.* dicens se non videre, cur, si possit hanc compensationem facere, dum non habet animum non compensandi, non etiam possit eam compensare et si habeat animum non compensandi, quod fusè declarantem sequentibus *num.* vide.

Plura, quæ huc reduci possunt, *seq. tit. de restam. tractata* invenies.